

netur parere præ ato in hac pœna justa ibi præcepta. *Ibid.*

(37. Non potest licite reus juste condemnatus petere a custodibus, et multo minus illos pecunia inducere, ut illum fugere permittant, quia cooperaretur peccato lethali eorumdem contra strictam obligationem, qua tenentur ad custodiam inclusorum. Quod diximus de carceri mancipato, dicendum ducimus de perpetuo trementibus condemnato, cum hæc pœna forte superet pœnam perpetui carceris. Cuniliati, tract. 11, De 8 Decal. præcepto, cap. unic., § 3, n. 11.

(38. Quod autem attinet ad Eucharistiam damnatis capitali supplicio impertiendam, Benedictus XIV, De synodo diœcesana lib. VII, c. 11, n. 3, scribit: « In hac eadem materia, nimirum administrationis sanctissimæ Eucharistiæ, non abs re erit aliquid dicere de eo quod alicubi in dubium revocatur, an scilicet concedenda vel deneganda sit communicatio corporis Christi iis qui ob grave delictum ultimo supplicio damnati sunt. De hac questione fuse egimus in nostro tractatu De sacrificio missæ, sect. 2, § 173, ubi, indicatis variis locorum consuetudinibus, eam sequendam esse insinuavimus, quæ in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur, tametsi innuere non omisimus, Chri-

stianæ pietati magis conforme esse, ut vivifici sacramenti participatio iis etiam qui ob grave delictum sententia capitali damnati sunt, petentibus et alioquin recte dispositis, non denegetur. Nunc autem addendum merito censemus, episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis diœcesibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo supplicio afficiendis Eucharistia præbeatur, idque in synodalibus constitutionibus inserere; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontifice S. Pio V, qui in epistola ad archiepiscopum Rossanensem, suum in Hispaniis nuntium, quam videre licet inter collectas a Francisco Goubau, lib. II, n. 2, id ipsum ab eo cum catholico rege agendum, eique suadendum mandat. Quodque earum regionum iudices prohibere solebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis communicatio ministraretur, id aperte improbat sequentibus verbis: « (Id nos) sacramentum nempe Eucharistiæ minime esse denegandum censemus, cum Christianæ charitati magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacra communione muniri, ut, perituro corpore, salutem animæ, quantum fieri potest, subveniatur. »

RITUS.

Super ritibus Ecclesiæ, eorumque observantia hæc, quæ sequuntur, præstat adnotare.

(1. Super ritibus Ecclesiæ eorumque observantia, nemini licet dispensationem concedere, inconsulta S. Sede. Benedict. XIV, tom. I, const. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 14. (2. Ritus paganorum permittit se convertere in ritus et consuetudines Christianæ religionis, inconsulta S. Sede, nemini licet. *Ibid.*

(3. Conjuges catholici diversi ritus, unusquisque proprium sequi possunt, idem constituit. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8. (4. Coniux Latinus ritum conjugis Græcæ sequi non potest. (5. At contra coniux Græcus sequi potest ritum conjugis Latinæ. *Ibid.* Matrimonia inter conjuges diversi ritus, quomodo et coram quibus contrahi debeant? Vide in *supplem.* ad verb. MATRIMONIUM.

(6. Ritus Latinus semel a quocunque susceptus deserere amplius non potest. *Ibid.*, § 7 et 8. (7. Dispensatur cum Græcis de præterito ordinatis ab episcopis Latinis animo retinendi Græcum ritum, ut in hoc permanere valeant. Et, ut id fiat, requiritur dispensatio Apostolica. *Ibid.*, § 7.

(8. Ritus Latinus suscipi non intelligitur per baptismum susceptum a Latinis in casu necessitatis. *Ibid.* const. 88, incip. *Demandatam*, § 18. (9. Græco-Melchitis Latino ritu baptizatis de præterito, permittitur electio ritus. *Ibid.*, § 16. (10. Ritus Ecclesiæ Orientalis, qui fidei et bonis moribus non adversantur, conservandi sunt et ab omnibus tolerandi. *Ibid.*, cit. constit. *Etsi pastoralis*, § 8. (11. Ritus Ecclesiæ

Orientalis observari debent a monachis Ruthenis ordinis S. Basilii. *Ibid.*, constit. 89, incip. *Inter plures*, § 24. (12. Sublata cuiuslibet dispensandi facultate. *Ibid.*, *ibid.*

(13. Ritus Græcum sequi tenentur ii ex Græcis, qui in casu necessitatis Latino ritu baptizati fuerint. *Ibid.*, citat. constitutione *Demandatam*, § 18. (14. Ritus Græcus in missis et divinis officiis observari debet a Græcis Italiæ, et insularum adjacentium. *Ibid.*, citat. constit. *Etsi pastoralis*, § 9. (15. Functiones solemnes Latino ritu in Ecclesiis Græcorum fieri prohibentur absque licentia ordinarii, et vice versa. *Ibid.*, § 9.

(16. Ritus Græco-Latinus in ecclesia Sanctæ Mariæ del Grafeo vigens perpetuo servari jubetur. *Ibid.*, constitution. 81, incip. *Romana Ecclesia*, § 1 et 2. (17. Ritus Græcorum Melchitarum conservari jubentur, et innovationes in illis inductæ reprobantur et annullantur. *Ibid.*, cit. constit. *Demandatam*, § 3. (18. A ritu Græcorum Melchitarum transitus non permittitur ad ritum Latinum inconsulta Sede Apostolica. *Ibid.*, § 15. (19. Item nec ad ritum Maroniticum. *Ibid.*, *ibid.*, § 12.

(20. Ritus Malabarici in nuptiis et matrimoniis, in gestatione *Taly*, et funiculorum ex certo filorum numero, croco delibatorum, in fractione fructus cocco, in separatione mulierum menstruarum et plebeiarum, vulgo *Pareas*, in celebratione primæ puellarum purgationis, in lavacris et ablutionibus, in usu cinerum præter modum et

tempus ab Ecclesia receptum, et omnia signa superstitiosa damnantur et prohibentur. *Ibid.*, citat. constitution. *Omnium sollicitudinum*, § 13 et 14.

(21. Ritus Sinenses sæpe ad examen fuerunt vocati, et præsertim a sacra congregatione de Propaganda Fide, an. 1643, sub Innocentio X, a congregatione S. Inquisitionis 1656, sub Alexandro VII, 1669, sub Clemente IX, ac sub Innocentio XII, quo interim mortuo, Clemens XI, ejus successor, reassumpto examine omnium dubiorum coram se anno 1704, confirmavit, et Apostolica auctoritate comprobavit congregationis responsiones ad omnia et singula quæ sita proposita, quibus ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur, mandavitque, præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ patriarcham commissarium, et in Sinarum regno visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earundem observantiam omnibus et singulis missionariis, pœnis quoque canonicis in refractarios indictis, præcipere.

(22. Clemens XI, anno 1714, iterum omnia confirmat et mandat servari decretum editum a cardinali de Tournon; rejicit appellationes ad S. Sedem interpositas. Declarat eo decreto nihil additum vel detractum responsionibus datis anno 1704. Vetat publicari scripta super ritibus Sinensibus absque licentia S. Sedis. Publicata vero prohibet sub pœnis et censuris in regulis indicis librorum prohibitorum contentis. (23. Idem Clemens XI, præfatas responsiones edita constitutione incip. *Ex illa die*, confirmat, et præcepto arctissimo sub censuris, et pœnis mandat ejusdem decreti executionem, de qua missionarii juramentum præstare jubentur, et donec illud præstiterint, eisdem suspenduntur facultates, et juramenti præstiti exempla authentica ad S. Sedem statuit transmitti, demandata superioribus regularibus, cujusvis ordinis et instituti, eorum omnium plenissima executione.

(24. Carolus Ambrosius Mediobarbus patriarcha Alexandrinus, et in Indiis Orientalibus, ac Sinarum imperio, finitimisque regionibus, et insulis commissarius et visitator generalis Apostolicus cum facultate legati de Latere, vix Sinarum regnum ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut contactus fuerit in publicum emittere permissiones octo circa ritus Sinenses, prohibita tamen eorum promulgatione, et versione in linguam Tartaram, aut Sinicam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quibus permissionibus nihilominus contra expressam adeo patriarchæ ipsius voluntatem evulgatis per binas suas pastorales ab episcopo Pekinensi mandante universis diœcesis suæ missionariis, ut observarent et observari præcipere constitutionem Clementis XI, incip. *Ex illa die* juxta dictas permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quæ in præcitata constitutione fuerant solemniter interdicta, hinc Clemens XII, anno 1733,

binas illas epistolas Apostolice promulgato brevi damnavit ac reprobavit, commisso interim examine dictarum permissionum congregationi S. Inquisitionis, auditis missionariis, aliisque.

(25. Deinde Benedictus XIV, die 11 Julii 1741, auditis cardinalibus et sacre Inquisitionis consultoribus, examen hujusmodi coram se, et respective per se ipsum absolvit et declarat permissiones illas nunquam a S. Sede approbatas fuisse, imo ejus decisionibus adversari, ac easdem permissiones reprobare et annullare, earumque praxim damnare; quæcumque a Clemente XI, definita sunt, aliter explicari vetat; præsentium observantiam et executionem omnibus et singulis injungit atque demandat sub gravissimis pœnis, missionarios inobedientes in Europam revocari jubet, comminatis in superiores Ordinum pœnis, si huic præcepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint; præscribit novam juramenti formulam ab omnibus missionariis omnino observandam, ipsamque tradit in tom. I, const. 19, incip. *Ex quo*, in qua plurima ad rem merito observanda.

(26. De ritibus Sinensibus constitutio, non obstantibus quibuslibet rationibus aut subterfugiis observari debet, ut expresse mandat, ac præcipit idem Benedictus constit. 114, incip. *Redditæ Nobis*.

(27. Sacrorum Rituum congregatio distinguitur in generalem et ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum cardinalibus quotquot eidem congregationi ascripti sunt, omnibusque ipsius congregationis consultoribus, atque in ea agitur de servorum Dei virtutibus, martyrio aut miraculis recognoscendis et approbandis. Ordinariam vero constituunt soli cardinales cum ipsius congregationis secretario, cum protonotario Apostolico et promotore fidei; atque in hac, præter cætera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a servis Dei, quorum beatificatio promovetur. Benedict. XIV, tom. II, constitution. incip. *Postulatum*.

(28. In congregatione sacrorum Rituum unus consultoris locus perpetuo tribuitur presbyteris Societatis Jesu. *Ibid.*, tom. II, constit. 29, incip. *Constantem*.

(29. Idem in eadem congregatione unus consultoris locus perpetuo tribuitur ordini clericorum regularium Theatinorum. *Ibid.*, tom. I, const. 125, incip. *Insignem*.

(30. Consultores congregationis sacrorum Rituum eliguntur a Summo Pontifice ex cætu prælatorum Romanæ Curie, et ex clero sæculari et regulari. Benedict. XIV, De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, lib. I, c. 16, n. 13. (31. Consultores congregat. sacr. Rituum aliqui dicuntur nati, quia statim ac quoddam determinatum officium assequuntur, intelliguntur etiam facti consultores dictæ congregationis; et isti sunt episcopus Apostolice sacrarii, vulgo sacrista, protonotarius congregationis sacrorum Rituum, tres antiquiores Rotæ auditores, auditor Summi Pontificis, assessor sanctissimæ

Inquisitionis, magister Sacri Palatii, secretarius congregationis et fidei promotor. Idem, *ibid.*

(32. Item licet electio consultorum regularium ex una potius, quam ex alia familia assumendorum a Summi Pontificis arbitrio dependeat, ex quo tamen electio prædicta fieri consuevit, semper aliquis assumptus est ex familia Patrum Dominicanorum, ex familia Minorum Observantium, et ex familia Patrum Societatis Jesu; (33. Præter quos Summus Pontifex Benedictus XIII, *per suas litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 7 Augusti, et die 1 Octobris 1725, et die 8 Augusti 1726*, statuit perpetuis futuris temporibus, unum consultorem congregationis sacrorum Rituum esse assumendum ex familia Minorum S. Francisci conventualium, alterum ex congregatione clericorum regularium Barnabitarum, et alium ex ordine servorum B. M. V. Idem, *ibid.*, n. 14.

(34. Consultores regulares ex decreto Clementis XIII, edito 11 Maii 1733, exceptis personis in dignitate episcopali constitutis et magistro Sacri Palatii, non possunt interesse congregationibus, quando agitur de causis servorum Dei ejusdem Instituti regularis. Idem, *ibid.*, n. 14.

(35. Consultores congregationis sacrorum Rituum non possunt esse postulatorem in quibuscunque causis beatificationis et canonizationis ex citato decreto Clementis XII, 11 Maii 1743. Idem, *ibid.*, n. 24.

(36. Officium consultorum est: primo, diligenter legere informationes omnes, summaria, scripturas tum facti, tum juris, animadversiones fidei promotoris, responsiones et replicationes, quæ in causis exhibentur; (37. secundo, tenentur verbales audire informationes procuratorum, advocatorum et postulatorum; (38. tertio, tenentur accedere statutis diebus ad congregationes, quando coguntur et in illis ferre suffragium; (39. quarto, tenentur inviolabile servare secretum sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ, a qua absolvi nequeunt, nisi a Summo Pontifice, excluso quoque majori penitentiario, præterquam in mortis articulo; (40. quinto, debent manifestare, an oretenus, vel in scriptis, sibi fuerint causæ beatificationum et canonizationum commendatæ. Sic expresse idem, cit. c. 16, n. 15, ubi n. 16, tradit formulam juramenti ad id ab ipsis præstandi.

(41. Dicti consultores uti non possunt adjutorio alicujus familiaris pro studio causarum; nisi id eis a Summo Pontifice concedatur ex gratia, quæ sæpe sæpius ratione veræ Indulgentiæ concessa est, ita tamen, ut nec iis, nec quotquot aliis, qui uti possunt consimili adjutorio, licitum sit adhibere operam alicujus, qui sit advocatus, procurator aut postulator causarum beatificationis et canonizationis, ex cit. decreto Clementis XII, die 11 Maii 1733 edito. Idem, *ibid.*, n. 18.

(42. Consultores possunt procuratoribus

et advocatis in verbali informatione proponere difficultates absque timore violandi secretum. Idem, *ibid.*, n. 19.

(43. Debent, si absunt a congregatione, suum suffragium in scriptis transmittere in eadem sacra congregatione legendum. Idem, *ibid.*, num. 21, et rursus in lib. IV Addition. ad caput 16 libri primi ex *Decreto Clementis XII*, edito 7 Septemb. 1735.

(44. Consultores sedent, cum suffragium præstant in congregationibus antepreparatoria et preparatoria; stant autem, cum suffragium ferunt in congregatione generali coram Summo Pontifice, et postquam omnes suffragati sunt, exeunt ex aula congregationis, remanentibus in ea Summo Pontifice, cardinalibus sacra congregationis, secretario ejusdem, fidei promotore et magistris Cæremoniariarum. Idem, *ibid.*, n. 22.

(45. Rituale Romanum illud tantum habendum, quod jussu Pauli V editum, et ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos directum est. Bened. XIV, constit. incip. *Cum ut recte*, § 24.

(46. Ritus Orientales non modo convellere nunquam studuerunt Romani Pontifices, sed tueri ac servare pro viribus allaborarunt. Bened. XIV, const. incip. *Allata sunt*, § 6. Unde missionarii relaxare non possunt præscripta ritu Orientalium. Idem, *ibid.*, § 3. Ritus enim tam in Latina quam in Orientali Ecclesia corrigere, permittere vel interdiceret Apostolicæ Sedis est; et proinde ritus in Ecclesia recepti, ab inferioribus, inconsulta Apostolica Sede, non modo tolli penitus, sed nec ex parte quidem immutari possunt. Idem, *ibidem*, § 27.

(47. Ritus confusio non inducitur, ex quo Græcus in Latina, vel Latinus in Græca Ecclesia, retento proprio ritu, sacra peragat. Idem, *ibid.*, § 33 et 35. Id vero contingeret, si Græcus modo Græco ritu, modo Latino, vel Latinus nunc Latino, nunc Græco ritu, sacra perageret. Idem, *ibid.*, § 34.

(48. Purificationis præceptum *Levitici* cap. XII propositum, brevius, longiusque tempus præfinivit, prout mulier masculum, vel feminam enixa esset. Bened. XIV, constit. incip. *Ex quo primum*, § 69.

(49. Similis lex viguit quoque primis sæculis in Ecclesia, licet jamdiu in Latina abrogata fuerit. Idem, *ibid.*, § 70. Voluntarius ideo plane est ritus, hactenus a pauperibus in Latina Ecclesia servari solitus, et in Rituali Romano descriptus; hæc enim benedictio mulieris post partum in Ecclesia Latina nullo jure præcipitur, eamque prætermittens minime peccat, nisi forte id ageret per spretum atque contemptum. Idem, *ibid.*, § 70. Ista tamen lex de puerperio vim coactivi præcepti adhuc obtinet apud Græcos, et exacte custoditur. Idem, *ibid.*, § 71 et 72, qui subinde § 73, licitam ipsis ejusmodi observationem demonstrat.

Vide verb. BELLUM, num. 2, et verb. VIRTUS, num. 86.

ROGATIONES

SUMMARIUM.

1. Rogationes secundum Sidonium Apollinarem, et alios, fuerunt primo inventæ et institutæ a S. Mamerto episcopo Viennensi in Delphinatu. — 2. Secundum alios S. Leo ductus consilio ipsius S. Mamerti jussit, ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis eadem ratione, qua Roma servabatur. — 3. Unde quamvis S. Mamertus dicatur Rogationum auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse auctorem, quam instauratorem et reparatorem. — 4. Rogationes per

(1. Rogationes, ut vult Sidonius Apollinaris, l. V, epist. 41, relat. in *Theatro vitæ humanæ*, t. VI, verb. *Rogation.*, lit. B, fuerunt primo inventæ et institutæ a S. Mamerto seu Mamerco episcopo Viennensi in Delphinatu, qui easdem eo fine induxit, ut quæ dictæ civitati videbantur portendi ex horribili ac sæpius iterato terræmotu, ex ululatibus atque nimium horrificis vociferationibus, et ex spectris; quæ omnibus ac singulis oppidanis terrorem inieciant, ac trepidationem, precibus iracundia divina fleteretur.

(2. Alii autem, quos tacito nomine refert Pontas, tom. III, verb. *Rogationes*, volunt S. Leonem ductum consilio dicti S. Mamerti jussisse anno 442, ut pius ille usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis, eadem ratione, qua Romæ servabatur; atque eidem adnecteretur parvarum Litaniarum cantus, atque tandem voluisse S. Gregorium Magnum, ut in istis supplicationibus magnæ Litanie cantarentur, atque sacra effigies S. Lucæ in iisdem deferretur propter gravem pestilentiam, qua tunc temporis urbs Roma opprimebatur. Et revera S. Avitus Viennensis episcopus in Delphinatu homilia *De Rogationibus*, quæ exstat in tomo tertio *Bibliothec. SS. Patrum*, ut refertur in *Theatro vitæ humanæ*, loc. cit., sub litteris E, S; Cæsarius Arelatensis, serm. 37, et S. Gregorius Turonensis, lib. II *Histor.*, c. 34, testantur, jam labente quinto sæculo in omnibus fere Ecclesiis obtinuisse usum prædictarum supplicationum atque solemnium obsecrationum (1).

(1) Vide quam hæc falsa sint. Rogationes Romæ ante pontificatum Leonis III, qui non nisi anno 795 sedere cepit, receptas non fuisse, testis adest Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita, ubi ait: « Ipse vero constituit, ut ante tres dies Ascensionis Domini litanie celebrentur, scilicet feria II egrediente Pontifice cum omni clero et cuncto populo cum hymnis et canticis spiritualibus ab ecclesia Dei Genitricis ad Præsepe, pergendo ad Ecclesiam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana; feria tertia vero exeuntes ab ecclesia Sanctæ Sabinae martyris, et pergentes ad B. Paulum apostolum; feria quarta exeuntes ab ecclesia Hierusalem, et pergentes ad ecclesiam B. Laurentii martyris. »

(2) Frustra hæc sunt, ut Mamertus solum Rogationum

triduum ante Ascensionem cum jejuniis celebrandas esse olim statuit concilium Aurelian. 1. — 5. Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejunandum non est, nisi Mediolani. — 6. In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto, etiam extra chorum, litanie Sanctorum. — 7. Et quidem recitandæ sunt proprio respective mane, nec possunt recitari Vesperi pridie statim post Matutinum et Laudes officii diei etiam pridie recitatas. — 8. Triduanæ Rogationes cur ab Ecclesia universali præcipiantur quotannis celebrari. — 9. Alia ad rem, remissive.

(3. Quamvis autem S. Mamertus dicatur Rogationum auctor, verisimile tamen est, non tam fuisse auctorem, quam instauratorem et reparatorem; hoc enim manifeste patet ex his citati Sidonii Apollinaris verbis: « Erant quidem prius (quod salva fidei pace dictum sit) vagæ, tepentes, frequentesque, utque sic dixerim, oscitabundæ supplicationes, etc. In his, quas supradictus summus sacerdos nobis, et protulit, et contulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur. » Ex his Sidonii verbis apparet, inquit cardinalis Baronius in notis *Martyrologii* ad 25 Aprilis, sanctum Mamertum episcopum non tam instituisse, quam restituisse, et in meliorem formam reduxisse sacras Rogationes. Sane quidem S. Augustinus, qui tempore præcessit S. Mamertum, de iisdem Rogationibus, quæ præcedunt celebritatem Ascensionis Domini, non obscure meminit serm. 174 *De Temp. in Vigilia Ascens.*, tom. X, pag. 338, edition. Lovan. Est ejus exordium hujusmodi: « Scire debemus et intelligere, fratres charissimi, quia dies compunctionis et penitentia celebramus, etc. » Circa finem autem sic: « Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de ecclesiæ conventu subducat; sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus, jejunando, orando et psallendo medicamenta sibi spiritualia non inquirat, etc. » Quibus quidem eundem de sacris Rogationibus verba facere nullum est dubium. Hæc Baronius, loc. cit., et *Theatrum vitæ humanæ*, loc. cit., sub litt. G (2).

(4. Rogationes per triduum ante Ascensionem

instaurator dici debeat; neque enim, inquit Zaccaria *Onomast. Ritual.*, t. XI, p. 124, quæstio est, an is primus litaniarum usum in Ecclesiam invexerit, quem constat multo antiquiorem fuisse; sed an eas instituerit, quæ ante Ascensionem Domini celebrantur, Rogationesque propria jam voce nuncupantur: in quo consentiunt fere omnes, et Sidonii ep. 14, lib. V, verba invenit, instituit, invenit, dubitari non sinunt. Sermo autem ille 174, de tempore suppositus est, atque in appendicem sermonum, qui Augustini non sunt, a Patribus S. Mauri cum serm. 175, rejectus, idque vel ista Rogationum Augustini tempore nondum institutarum mentio suadet.

sionem cum jejunio celebrandas esse olim statuit concilium *Aurelianense* i triginta trium episcoporum anno Christi 511, sub Symmacho Papa, tempore Clodovei I, Francorum regis Christiani cap. 29, præcisus his verbis, quæ referuntur etiam in cap. *Rogationes* 2, dist. 3, De consecrat., ibi: « Rogationes, id est litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari: ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominica Ascensionis solemnitate solvatur, per quod triduum servi et ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Qui triduo omnes abstineant, et Quadragesimalibus cibis utantur. »

(5. Nunc vero in tribus diebus Rogationum jejunandum non est, nisi Mediolani, quia Mediolanenses Quadragesimam incipiunt triduo post quam alii; et alii fideles in illo triduo non jejunant pro Rogationibus, quia tempore Paschali non jejunatur. Concil. *Mediol.* i (3).

(6. In triduo Rogationum post Laudes recitandæ sunt de præcepto; etiam extra chorum, litaniam Sanctorum, quæ non duplicantur cum suis precibus. *Communis*. Sunt enim pars officii. *Vide verb. LITANIE*, n. 16.

(7. Et quidem recitandæ sunt proprio respectu mane, nec possunt recitari Vespere pridie statim post Matutinum et Laudes officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de officio Defunctorum die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari in Vesperis, ex decreto sac. congregat. Rituum, 1 Se-

ROMANI PONTIFICES.

* De Romano Pontifice plura quidem exstant in hac Bibliotheca, tum ex auctore, verb. *Ecclesia*, verb. *Papa*, verb. *Regimen*, tum *ex aliena manu*, sed quoniam desiderari adhuc videbatur Romanorum Pontificum completa series; idcirco hic adducitur ex celebriorum chronologorum tabulis deprompta.

Sæculum I.

(1. Anno *Æræ vulg.* 33. S. Petrus primus Christi in terris vicarius, Jerosolymis primum, deinde Antiochiæ ad an. usque 41 diversatus, inde Romæ sedit annos 25. Martyrii palmam sub Nerone consecutus die 29 Junii an. Chr. 66.

(2. 66. S. Linus Etruscus, jam Petro coadjutor ab an. 55, post ipsum Ecclesiam rexit per annum circ. martyr occubuit 23 Sept., an. Chr. 67.

(3. 67. S. Clemens I Rom. Ecclesiam rexit ad an. usque 76. Cessit pontificatui, et martyr obiit 23 Nov. an. 100.

(4. 77. S. Cletus Rom. Ob. martyr 23 Apr. an. 83.

(5. 83. S. Anacletus Græcus. Ob. martyr 13 Julii an. 96.

(6. 96. S. Evaristus Græcus. Ob. martyr 26 Octobris an. 108.

Sæculum II.

(7. 108. S. Alexander I Roman. Obiit martyr 3 Maii an. 117.

(5) Idem mos in Melitensi insula viget.

ptembris 1607. (Nota tamen, decretum hoc revocatum fuisse ab ead. sac. congr. Rituum a lio decreto in una *Ratisbonen.* 4 Septembr. 1745. Quare nunc licet privatim recitare officium Defunctorum die antecedenti commemorationem omn. fidel. defunctorum; atque hinc ruit fundamentum a simili hic allatum.) Et sic docent Tamburin., in *Decalog.*, lib. II, capit. 5, § 5, n. 7; Stoz, lib. I, part. III, n. 417; Merati, t. II, sect. 6, cap. 16, n. 5, cum pluribus ibi adductis, et alii; unde caute legendi sunt doctores contrarium sentientes, ignorantes fortasse prædictum decretum sacre congregationis; tum quia ipsæ litanie sunt loco assistentiæ ad processionem, quæ assistentiæ non potest anticipari, sed ipso proprio respective die Rogationum observari debet.

(8. Triduanæ Rogationes ab universali Ecclesia quotannis celebrari præcipiuntur, ut propitiatur Deus peccatis nostris, et a nobis flagella iræ suæ dignetur avertere, pacem, et aeris salubritatem concedat, ut fructus terræ dare, et conservare dignetur, et omnibus nostris necessitatibus benigne prospiciat, ut constat ex Ordin. Romano titul. *De Rogationibus*, et confirmant Amalarius, lib. I, cap. 57; Gemma, lib. III, cap. 139; Casarius Arelatensis, homil. 37, et alii passim.

(9. Quid circa commemorationes Rogationum, si in diebus hujusmodi officium occurrat primæ classis, puta titularis, patroni, vel dedicationis Ecclesiæ? *Vide verb. VIGILIA*

(8. 117. S. Sixtus I Roman. Ob. martyr 3 Aprilis an. 127.

(9. 127. S. Telesphorus Græcus. Ob. martyr 5 Januar. an. 138.

(10. 138. S. Hyginus Græcus. Ob. martyr 8 Januar. an. 142.

(11. 142. S. Pius I Aquileiensis. Ob. martyr 11 Julii an. 150.

(12. 150. S. Anicetus Syrus. Ob. martyr 17 Aprilis an. 161.

(13. 162. S. Soter Campanus. Ob. 22 Apr. an. 171.

(14. 171. S. Eleutherus Græcus. Ob. 20 Maii an. 185.

(15. 185. S. Victor I Afer. Ob. 28 Julii 197.

(16. 197. S. Zephyrinus Roman. Ob. martyr 26 Julii an. 217.

Sæculum III.

(17. 217. S. Calistus I Roman. Ob. martyr 14 Octobris 222.

(18. 222. S. Urbanus I Roman. Ob. martyr 25 Maii 230.

(19. 230. S. Pontianus Roman. Ob. martyr 30 Octobris 235.

(20. 235. S. Anterus Græcus. Ob. martyr 3 Januarii 236.

(21. 236. S. Fabianus Roman. Ob. martyr Kal. Martii 250.

(22. 250. S. Cornelius Roman. Ob. martyr 14 Septembr. 252.

Schisma I. Novatianus antipapa.

(23. 252. S. Lucius I Roman. Ob. martyr 3 Martii 254.

(24. 254. S. Stephanus I Roman. Ob. martyr 2 Augusti 257.

(25. 257. S. Sixtus II Græcus. Ob. martyr 6 Augusti 259.

(26. 259. S. Dionysius. Ob. martyr 29 Decembris 268.

(27. 269. S. Felix I Roman. Ob. martyr Kal. Januarii 274.

(28. 274. S. Eutychianus Etruscus. Ob. martyr 8 Decemb. 283.

(29. 283. S. Caius Dalmata. Ob. martyr 22 Aprilis 295.

(30. 295. S. Marcellinus Roman. Ob. martyr 26 Aprilis 304.

Sæculum IV.

(31. 304. S. Marcellus Roman. Ob. martyr 16 Januar. 310.

(32. 310. S. Eusebius Græcus. Ob. martyr 17 Augusti 310.

(33. 310. S. Miltiades Afer. Ob. martyr 15 Januarii 314.

(34. 314. S. Silvester I Roman. Sub ipso pax reddita Ecclesiæ a Constantino M. celebratumque concilium *Nicanum* I, *æcumenicum* I, contra Arianos an. 325. Rexit Ecclesiam an. 21, m. 11. Ob. die 31 Decemb. 335.

(35. 336. Sanctus Marcus Roman. Obiit 7 Octobris 336.

(36. 337. S. Julius I Roman. Ob. 12 Apr. 352.

(37. 352. S. Liberius Rom. Ob. 24 Septemb. 366. *Vide Hist. Eccles.*

(38. 358. S. Felix II Rom. a Constantio imperatore Arianio in locum Liberii jam in exsilium acti subrogatus fuerat, qui tamen Pontifex factus catholicam fidem propugnavit, et martyrium passus est, dum adhuc Liberius Sedem Romanam obtineret.

(39. 366. S. Damasus Hispanus post obitum Liberii Pontifex electus, contra quem schisma II in Ecclesia conflavit Ursicinus. An. 381, habitum est concilium *Constantinopolitanum* I, *æcumenicum* II, contra Mæcedonianos. S. Damasus ob. die 11 Decembris 384.

(40. 385. S. Siricius Roman. (cujus sanctitatem novissime asseruit Benedictus XIV. *Vide Epistol. de nova Martyrol. editione* ad regem Portugalliæ, quæ exstat in *Bullar.* tom. II, n. 54.) Ob. 19 Septembr. 399.

(41. 399. S. Anastasius I Roman. Ob. 3 Novembr. 401.

Sæculum V.

(42. 401. S. Innocentius I Albanus. Pelagium, Cælestium et Julianum hæreticos pro-

scripsit sanctissimus Pontifex. Ob. 14 Febr. 417.

(43. 417. S. Zosimus Græcus. Ob. 13 Decemb. 418.

(44. 418. S. Bonifacius I Roman. Ob. 4 Sept. 422.

Schisma III. Eulalius antipapa.

(45. 422. S. Cælestinus I Campanus, sub quo an. 341, habitum est concilium *Ephesinum* I, *æcumenicum* III, contra Nestorium. Obiit SS. Pontifex 21 Julii 432.

(46. 432. S. Sixtus II Roman. Ob. 22 Julii 440.

(47. 440. S. Leo I Etruscus cognomento Magnus, sub quo an. 451, celebratum est concilium *Chalcedonense æcumenicum* IV, contra Dioscorum et Eutychem. Ob. doctissimus æque ac sanctissimus Pontifex 3 Novembr. 461.

(48. 461. S. Hilarius Sardus. Ob. 21 Februar. 468.

(49. 468. S. Simplicius, Tiburtin. Ob. 2 Mart. 483.

(50. 483. S. Felix III Roman. Ob. 23 Febr. 492.

(51. 492. S. Gelasius I Afer. Ob. 19 Novembr. 496.

(52. 496. S. Anastasius II Roman. Ob. 17 Novembris 498.

(53. 498. S. Symmachus Sardus, contra quem schisma in Ecclesia IV conflavit Laurentius Roman. antipapa. Ob. 19 Jun. 514.

Sæculum VI.

(54. 514. S. Hormisda Campanus. Ob. 9 Augusti 523.

(55. 523. S. Joannes I Etruscus Ravennæ martyr occubuit die 27 Maii 526.

(56. 526. S. Felix IV. Ob. 23 Septembr. 530.

(57. 530. Bonifacius II Roman. Ob. 8 Novembr. 532. Schisma V. Dioscorus antipapa.

(58. 533. Joannes II Roman. Ob. 28 Maii 535.

(59. 536. S. Agapetus Roman. Ob. 22 April. 536.

(60. 536. S. Silverius Campanus, Hormisdæ filius, martyr occubuit 20 Junii 538.

Schisma VI. Vigilius Sedem invadit.

(61. 538. Vigilius Roman. qui in Sedem Silverii legitimi Pontificis favente Bellisario irrepserat, mortuo Silverio agnitus est et ipse legitimus Pontifex. Ob. 11 Januar. 555, sub ipso habitus est an. 553, concilium *Constantinopolitanum* II, *æcumenicum* V, contra Origenistas, etc.

(62. 555. Pelagius I Roman. Ob. 2 Mart. 560.

(63. 560. Joannes III Roman. Ob. 13 Jul. 573.

(64. 574. S. Benedictus I Roman. Ob. 25 Jul. 578.

(65. 578. Pelagius II Roman. Ob. 12 Febr. 690.

(66. 590. S. Gregorius Magnus, Roman. post interpontificium ab obitu Pelagii II mensium sex et dierum 25, electus est Pontifex. Donatistas in Africa coercuit, et Joannis patriarchæ Constantinop. se *æcumenicum*